

Oratio ad chirurgum valedicendum

“Postquam multi collegae et ministri iam de memoriis tui locuti sunt, paucis verbis ex conspectu aegrotae de te loqui cupio. Te mense Augusto anno MMXXII cognovi: pede post saltum, in deiectu aquae, ad lapidem impacto, helicoptero in valetudinarium Belitionae lata sum. Istum chirurgum scholis anatomiae pedis in universitate non interfuisse patuit: radiographemate pedis nullum os fractum esse monstrare mihi persuadere conatus est. Vehementer ei contra dixi: nisi os fractum fuisset, cur dolore cruciatam in deiectu aquae vix respirare me potuisse? Dubitans ille vir sapiens digitis talum pedis tumidi pressit, rogans num dolorem sentirem. Cum ei magna voce male dicens assensa essem, iterum radiographema perscrutatus est, et denique talum fractum esse animadvertit; “Sed fractura facillime sectione curari potest”. Contemptim eum rogavi num revera me eum se pedem meum secare crederet passuram esse.

Maritus meus pedem meum in valetudinario universitatis Turicensis secturum esse censuit: ibi chirurgum quendam operam dare qui vulnera huius generis curare solebat soleret. Dubitans paginam retialem illius chirurgi perscrutata sum: recte, “Jukema” quidam professor erat universitatis Turicensis (ergo quasi collega), qui speciali studiarum animum agitabat. Salutem pedis ei committere constitui.

Verbis acribus et dilucidis illam fracturam exposuisti: “Pone ante oculos pistillum quo piper frangitur: eodem modo calcaneus tuus tibia fractus est”. Gratias tibi ago: propter illam comparisonem pistillo in culina non iam audeo uti.

Cum primum te rogavi num umquam iterum in montibus possem ambulare, severissime me aspexisti: “Te illam fracturam gravissimam esse intellegere oportet. Osse in multas partes fracto tibi suadeo ne miracula fore exspectes”. Verbis tuis statim accedens amare de illo viro sapienti Belitionensi cogitavi: tam facile sanatu erat illa fractura!

Severitatem tuam quam iam ex photographemate in pagina retiali tua posito intellexi etiam postea sum experta: aliquot hebdomadis post seccionem te cauta rogavi num mihi in piscina natate liceret. Severissime me monuisti ut praeceptis tuis ad verbum obtemperarem: “Tum demum piscinam petas cum ego hoc permisero, aliter curationem pedis pericliteris. Me intellegis?” Pudore capta assensa sum: intellexeram. Numquam iterum proposita similia protuli, et post aliquot hebdomadas me laudavisti: praeceptis tuis optime sequerer. Mirum non est: facere aliter numquam ausa essem!”